

ⲙⲓⲛⲓ

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

ECCLLESIA
LUTHERANA.

Quam

Sub benignissimis S. S. Trinitatis auspiciis

PRÆSIDE

Admodum Reverendo, Amplissimo & Excellentissimo

DN. ABRAHAMO CALOVIO,

S. S. Theol. D. ejusdemque P. P. celebratissimo, Pa-
store & Superattend. Circuli Electoralis generali fidelissimo, Sy-
nedrii Ecclesiast. Assessore gravissimo, nec non Facultatis Theol.
p. t. Decano Spectabili, Viro de Ecclesia Lutherana optimè me-
rito, Dn. Præceptore ac Evergeta suo aternùm venerando.

*In incluta Wittebergensi Academia, placida sententiarum
collationi subjiçit.*

JOSUA Schwarz / Pomer.

A. & R.

Ad d. 9. Decembr. Anno cl^o ~~MD~~ LII.

WITTEBERGÆ,

Excudebat Johannes Haken, M DC LII,

53.

J. H. E.

45

Coll. diss. A
154, 34

54. A 154 (34.)

UNIVERSITÄT THEOLOGICA
BIBLIOTHECA

ALPHABETICA





Quæstiones de Ecclesia Lutherana controversas maxi-
mè posaturi, de nomine Ecclesie ut dicamus aliquid,
ante omnia requiritur, ac primo quidem *ratione Etymologia* Ecclesie, sive ἐκκλησία est vox græca, derivata
à verbo καλέω voco, descendente ab Ebreo קָהַל vox, quod
maximam cognationem habet cum קָהַל congregavit à
quo directè ipsum ἐκκλησίας vocabulum, mediante καλέω
haud dubitaret derivare. Propriè enim de congregatione
hominum per convectionem facta dicitur. Quod tum ger-
manice quædam Röhle / & per anastrophem locken / tum E-
braice imprimis קָהַל & קָהַל orta inde vocabula, vo-
cationem aut vocem connotantia egregiè testantur. קָהַל
enim significat Concionatorem sive Ecclesiasten, personam
nempe, quæ voce suâ per ministerium verbi convocat homi-
nes, Eccles. 7. v. 28. קָהַל deinde ἐκκλησία evocatum cœ-
tum notat, idque Septuaginta sæpissimè per ἐκκλησίαν inter-
pretati sunt, ut Ex. 12. v. 6. 2. Par. 31. v. 8. &c. sæpè tamen συνα-
γωγῆς nomine hoc ipsum verterunt, quod licet in genere
quamvis vel hominum vel aliarum rerum congregationem
significet, sive illa convectione sit facta, sive non sit, adeoque
voci קָהַל ex toto non respondeat, id tamen præ aliis Ec-
clesie V. T. dicabant. Ut plurimum autem hoc ex altero no-
mine קָהַל (his enim duobus קָהַל & קָהַל potissi-
mum lingua sancta Ecclesie cœtum exprimebat) verterunt
Interpretes, quod est à radice קָהַל indixit constituit scil. lo-
cum vel tempus, ubi vel quando aliquid fieri debeat, notat-
que cœtum statò tempore ac loco congregari solitum; estque
hæc ratio specialius quam קָהַל, quod Ecclesiam notat,
non habentem certum tempus, nec locum indicatum. Unde
constat populum Israeliticum, vel Ecclesiam Veteris Testa-
menti συναγωγῆς nomine, magis קָהַל quam alteri קָהַל
A. respon.

A.

respon.

respondente, appellatam esse; quod ad certum locum & tem-
pus divinâ authoritate & legibus alligata perpetuò fuerit,
quod in Ecclesia Novi Testamenti non amplius observa-
tur. Hæc enim cum *ἡ καθολικὴ* toto diffusa terrarum
Orbe & omnibus ex linguis ac populis collecta; propter
ea nec *συναγωγῆς* voce. (quâ scil. indicabatur Eccle-
sia augustis Judææ limitibus inclusa) Apostoli uti postea vo-
lebant; sed loco illius semper ferè *ἐκκλησία* dixere. Quo de-
inde vocabulo cœtum Christianum, à reluctantium Judæo-
rum Synagogis & congregationibus suis particularibus, com-
modè distinguebant. Hoc nomen etiam Apostoli apud alias
gentes de civium cōvocationibus, Præconis voce factis indi-
catisque conventibus usitatum videbant, quod docent exem-
pla apud Thucididem, ubi *συνάγειν ἐκκλησία* legitur, &
apud Arist: *μη ποιεῖν ἐκκλησία τοῖς θεοῖς*. Quo sensu &
ἐκκλησίας vocabulum usurpatur Act. 19. v. 32. 39. 40. Itaque
ad Civitatem Christianam Deo vocanti ejusq; legibus obstri-
ctam id aptè transtulerunt; advertentes imprimis, hanc *ἐκ-
κλησίας* appellationem illustriorem esse: includit namque
& separationem à Regno Diaboli, quod est terminus à quo, vi
scil; particula *ἐκ*, & collectionem ad Regnum Christi, quod
est terminus ad quem, vñ verbi *καλέω* quod ante omnia ip-
sam etiam *κλήσιν* sive vocationem complectitur, quâ tanquã
tuba è mado ad veram *ἐκκλησίαν* evocatur ut loquitur Do-
minus Isaia c. 58. v. 1. cum contra synagogæ nomen dunta-
xat terminum ad quem, nudam congregationem in se com-
plectatur. Intelligimus igitur è modo dictis, in scripturis,
Ecclesie vocabulum non sacris tantum, sed etiam profanis
artibus tribui. Proinde hoc ipsum *ratiōne Homonymie* va-
riè distinguimus, & pro cœtu hominum quavis de causa con-
vocatorum *generaliter primo* accipi dicimus: (ut hoc proba-
rent apud Thucid. Arist. in Act. Apost. 19. v. 39. & seq. citata
modò exempla) *Deinde specialiter* pro cœtu hominum, vel vere
Religionis nomine convocato, vel *falsa*. Illo sensu Ecclesie No-
men

men sumptum intelligitur Ecclesia Vera tum V. T. in populo
 Judæorum ante natum Christum, tum N. T. per totam terrarum
 orbem post exhibitum Messiam, qua ad differentiam congre-
 gationum Polyeticarum, Ecclesia Dei dicitur Nehem. 13. v. 1.
 Act. 20. v. 28. Item Ps. 89. v. 6, 8. dicitur Ecclesia Sanctorum,
 quo Epitheto distinguitur ab Ecclesia vocabulo ultimo sensu
 accepto, ubi nimirum intelligitur Ecclesia falsa, qua Psal. 26.
 v. 5. Ecclesia malignantium ebraicè **סִינַגֶּגָה** Ecclesia
 amaricantium dicitur, quia Deum suū inobedienciā exacer-
 bat: etiam Apoc. 2. v. 9. Synagoga Sathana vocatur. Hic ip-
 se enim est *causa principalis* Ecclesie sive evocationis hujus;
 Christus contra illius. Nusquam vero Ecclesie nomine una
 aliqua singularis persona indicatur, qualis est Pape Romanus,
 est enim nomen collectivum. Porro Ecclesia pro cœtu hominū
vera Religionis nomine convocato sumpta, *ratione Synony-*
mia Logica, tanquam in species varias distinguitur, & primo
 pro toto *Electorum* cœtu qui inde ab orbe condito in V. & N.
 T. usque ad interitum ejus undiquaq; terrarum orbis, à Chri-
 sto per verbum vocantur, colliguntur, justificantur, *exquisi-*
tè loquendo accipitur. Quorum iterum respectu considera-
 tur Ecclesia hæc vel in *cœlis*, & dicitur *triumphans*, qua nihil
 aliud est quam cœtus glorificatorum, qui jam cum Christo vi-
 vunt in cœlis, de peccato Satana & mundo victis triumphan-
 tes Apocal. 7. v. 9. 10. 14. Hebr. 12. v. 22. 23. vel consideratur
 Ecclesia in *terris* & dicitur *militans*, estque hæc justificato-
 rum, qui carne circumdati adversus Satanam, Mundum &
 Carnem propriam quotidie adhuc certant, vid. Job. 7. v. 1.
 Eph. 6. v. 11. 1. Pet. 5. v. 9. *Secundo* Ecclesia vera, pro toto cœtu
 promiscuo *vacatorum*, in quo sunt Electi sive Sancti & non
 Sancti; vel pro parte ejus, *Presbyterio* nempe, sive Senatu Ec-
 clesiastico ut Matth. 18. v. 17. 1. Tim. 4. v. 14. seu *Grege* h. e.
 ovibus sive auditoribus, ut Act. 5. v. 11. e. 15. v. 4. 2. *populari-*
ter sive in sensu latiori accipitur. Ultimo tandem *ratione Sy-*
nonymia grammaticæ Ecclesia vera alias atque alias habet ap-
 pellationes. In symbolo Apostolico vocatur *communio*

Sanctorum : Corpus Christi Rom. 12. v. 5. 1. Corinth. 6. v. 15. cum primis Ephes. 4. v. 11. & seqq. Colos. 2. v. 19. Sponsa Christi Esai 61. v. 10. Ose. 2. v. 7. 2. Corinth. 11. v. 2. Regnum Cœlorum Matth. 3. v. 2. Civitas Dei Cantic. 3. v. 2. Domus Dei ps. 27. v. 4. & Ps. 55. v. 15. 1. Timoth. 3. v. 15. Hebr. 3. v. 2. Vineam Domini Matth. 20. v. 1. c. 21. v. 33. Liliū inter spinas Cant. 2. v. 2. Soror Christi, c. 4. v. 9. 10. Hortus conclusus, c. 4. vers. 11. Fons Israelis Psalm. 68. vers. 28. quemadmodum hæc ita recenset D. Himmelius in Syntagmate suo. Et hæc de Nomine sive vocabulo Ecclesiæ sufficiant. Jam commodum visum est ac necessarium, præmittere non nulla de Ecclesia Romanensium Dubia, quæ Lutheranam infirmare fortè videantur, quibus submotis, ad hanc pergamus, sicque methodo præcipuorum Theologorum anascevaltice & catacevaltice Quæstiunculas nostras pertractemus. *Quarum prima erit:*

An Ecclesia semper sit visibilis coetus (ut vult Bellarminus) ut est Respubl. Venetor? Negatur?

Quando enim I. definimus Ecclesiam, quod sit coetus hominum à Christo per prædicationem Evangelii & administrationem Sacramentorum, ex universo mundo ad Regnum Dei vocatorum, in quo sunt electi juxta prænotationem Dei & verè credentes, quibus mixti sunt non sancti, in doctrina tamen consentientes; tùm potissimum intelligimus Ecclesiam N. T. in sensu latiori acceptam, quæ in se strictiorem illam continet, qua tantum coetus Electorum in his terris militantium intelligitur, eamque diverso respectu *visibilem & invisibilem* esse dicimus. *Visibilem* eùm propter prædicationem verbi & Sacramentorum administrationem; aliasque externas Ecclesiæ notas, tùm etiam propter ipsam Societatem externam civium Ecclesiæ visibilem, qui sacros coetus frequentant, verbum Evangelii audiunt & Sacramentis utuntur. *Invisibilem* verò

Verò Ecclesiam præsertim dicimus, propter cœtum Sanctorum
seu Electorum, qui quâ tales humanis oculis videri non pos-
sunt, juxta Scripturæ dicta 3. Reg. 8. v. 39. 2 Tim. 2. v. 19. 4.
Reg. 19. v. 18. Luc. 17. v. 20. Joh. 3. v. 8. Neque vero hac ratio-
ne ἀπλῶς Ecclesiam invisibilem statuimus sed κατὰ τι tan-
tùm. Sic visibilis omnino Ecclesia ratione *formæ externæ*,
quâ Pastores & Auditores externis occupati Religionis offi-
ciis, in cœtum quoditæ cœunt. Talis vero ratione *formæ in-
ternæ* neque dici nec censeri unquam debet. Sic *materiale*
Ecclesiæ, sive homines, quibus illa constituitur maxime visum
nostrum incurrunt, non v. *formale* quâ ex illis constituitur:
Quod ipsum nec ipsi negant Pontificii. Bellarminus enim c.
15. l. 3. *Videmus inquit cœtum hominum, qui est Ecclesia, sed quod
ille cœtus sit ipsa vera Christi Ecclesia non videmus, sed credimus.
Vera enim Ecclesia est quæ profitetur fidem Christi, quis autem evi-
denter scit, nostram fidem esse Christi? Huc pertinet quod ipse
eodem libro & capite concedit, Multa invisibilia fidem sc. spem
charitatem &c. esse in Ecclesia. Idem est quod dicimus, Eccle-
siam esse invisibilem ratione societatis internæ, quæ consistit in
unitate fidei salvificæ, spæi & charitatis, quâ Christo capiti,
& reliquis mystici corporis membris verè p̄ se sunt conjuncti:
visibilem verò ratione societatis externæ, quæ consistit in pro-
fessione fidei & usu Sacramentorum, cui disciplinæ Ecclesia-
sticæ exercitium addi potest. Idem concedit liber Interimi-
sticus c. 9. *Ecclesia quatenus constat membris talibus, quæ secun-
dum charitatem vivunt, Sanctorum est tantum, & eatenus Spiritu-
alis & invisibilis. Verum concedatur licet κατὰ τι & diverso
respectu Ecclesiam esse invisibilem: negant tamen inde posse
eam invisibilem appellari, dicentes quod semper in Sacra
Scriptura nomine Ecclesiæ, visibilis congregatio intelligatur,
nec posse proferri vel unicum locum in quo Nomen hoc tri-
buatur congregationi invisibili, Sanctorum sc. sive Electorum.
Resp. Quod tamen falsissimum. Præter alia enim multa uni-
cum illud Matth. 16. v. 18. contrarium apertè docet, quo dici-
tur: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ infer-**

rerum non praevalent adversus eam. Quod nequaquam de Ecclesia aliqua particulari visibili intelligi debet, sed de Electorum illa verè invisibili. Qui enim tantum ad particularem & visibilem istam pertinent, saepissimè potentia Satanae everuntur, qui vero de Sanctorum sunt Ecclesia à Satana everi minime possunt, quod ipsum Christus & Joh. 10. v. 28. Hic testatur præcipuè verbis: *Oves meas nemo rapiet ex manu mea.* Et quamvis regerant Pontificii, Christum cum temporis & hodie per Papam vicarium suum, esse fundamentum Ecclesiae visibile, proinde & ipsam Ecclesiam. Respondemus nos, nec Christum quæ Ecclesiae fundamentum, quæ etiam verè credentes super angularem hunc lapidem ædificantur visibilem fuisse, est enim structura hæc tota spiritualis ac interna.

II. Quia ratione formæ externæ *ex se & secundum se*, est quidem *visibilis* Ecclesia, sed non semper *actu videtur*, hoc modo etiam invisibilem esse dicimus. Nec tamen *omnibus* hac ratione invisibilem esse asserimus, sed *quibusdam tantum* sive etiam *plurimis* interdum. Hic verò visibilem & invisibilem esse, non ut antea sunt disparata sive subalterna ac subordinata, ubi diverso respectu ecclesia simul est visibilis & invisibilis, & visibilis in se comprehendit invisibilem, sed sunt hic contrariè opposita. Sibi invicem n. secundum idem ad idem opponuntur. Dicunt enim Pontificii, Ecclesiam quæ externa, semper & omnibus esse, visibilem & nunquam latere: Nos vero quæ externa non semper, nec omnibus esse visibilem, sed saepe latere. Tota enim vel persecutorum potentiâ vel scandalorum frequentia vel etiam hereticorum astutiâ obscurari, inque cum statum redigi potest, ut splendor ille exterior & claritas adeo deficiat, ut ne unicus coetus, qui puro verbi ministerio publice in ecclesia sonante gaudeat, remansisse videatur, sed in universum invisibilis latens & obscura.

3. Accedit quod sola comparatio ecclesiae V. T. cum Ecclesia N. T. cum huic nostrorum dogmati probando, tum imprimis Pontificiorum evertendo sufficit: quippe quæ licet egregie de externo etiam splendore subnixæ promissis, saepe admodum

modū latuit. Tempore n. Aaronis tota Idololatria erat obnubilata, ex. 32. Tempore vero Eliæ adeò, ut ne illi ipsi fuerit cognita, nedum illis qui fuere extra ecclesiam. His addi possunt vaticinia illa de horrenda ecclesiæ Christianæ & universali Apostasia, frequentia scandalorum, de seductione Regum terræ, orbis & incolarum ejus, quæ necessario veram ecclesiam in latebras cogant, eamque invisibilem fore simul doceant. Sequentibus etiam & V. & N. T. seculis, corruptam sic ecclesiæ faciem sæpe fuisse Historia docet, uti semper tamen remanserint boni & electi eâ scilicet raritate, ut non constituerint visibilem cœcum, sed latuerint invisibiles, non secus ut grana in ingenti palearum acervo.

Quæstio II. An Ecclesia Romana sit vera Ecclesia extra quam non est salus? Negatur.

I. Principiis enim & causa formali proximâ, id est, parâ verbi prædicationis & sano sacramentorum usu, veram imprimis ecclesiam & constituentibus & designantibus, Romana, omnino caret. Apertè enim contra Scripturam varia sua dogmata propugnat. Sic pro capite suo Pontificem habet Romanum, cum tamen contrarium Scriptura dicat, Christum esse caput & Sponsum Ecclesiæ Ephes. 1. v. 22. Colos. 1. v. 18. &c. Illa traditiones humanas pari pietatis affectu cum verbo Dei amplectendas esse statuit; vera contra Ecclesia superstructa est fundamento Prophetarum & Apostolorum, eidemque unicè innititur nec quicquam recipit extra verbum Ephes. 2. v. 20. Galat. 1. v. 8. &c. Illa Sanctos de mortuis invocat, ubi cultus Adorationis soli Deo tribuendus Ps. 50. v. 15. Esa. 42. v. 8. Gal. 4. v. 8. Sic etiam contra expressum mandatum Dei, lectione Scripturarum filiis suis interdicit, & id genus alia innumerabilia ecclesia Romana Dogmata fovet ἀντιθετα. Quapropter ad hunc modum contra eam argumentamur: Quæcunque ecclesia non audit vocem Christi, illa non est vera, Sed Ro-

mans-

mana : ergo. Major probatur, Johan. 10. v. 26. 27. ubi Christus evincit, Judæos non esse membra veræ Ecclesiæ, & probationis loco assumit audirum verbi, tanquam certam & infalibilem Ecclesiæ notam : *Non estis inquit ex ovibus meis, oves enim mea vocem meam adiunt.* Minor ex præcedentibus est vera. Similiter Joh. 8. v. 31. Christus dicit *Si permanseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis :* Sed hoc non faciunt Pontificii, haudquaquam ergo pro Christi discipulis, sive Ecclesia haberi possunt.

II. Cypriani illa Augustini, aliorumque axiomatis loco dicta : *Extra Ecclesiam non est salus :* Item : *Non potest habere Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem, & cætera quæ nobis objiciunt ;* de Veteri incorrupta illa Romana, haudquaquam vero de perversa hodierna ita prædicari possunt. Illa quippe fundamento Apostolorum supstructa, usque ad dominatum Pontificis Romani, illi firmiter inhærebat, quo deinde dominante, pessimè defecit.

Quæstio 3. An Ecclesia Romana rectè dicatur Catholica? Negatur.

Quando enim nomen hoc de Ecclesia dicitur, eam I. nulli alligatam esse notat, sed universalem, totoque orbe dispersam & omnibus ex gentibus hinc inde collectam. Quâ sola significatione, in Veterum Scriptis usurpatum, ac Symbolo Apostolico insertum fuisse, nemo Theologorum dubitat, quorum potius aliqui, ab ipsis Apostolis appellationem hanc profectam fuisse, annuere volunt. Hi enim ex ore Servatoris audiverant, Ecclesiam N. T. non amplius ut in V. T. angustis Judæi limitibus fore inclusam, sed Evangelium prædicandum esse in universo mundo Matt. 24. v. 14. c. 26. v. 13. Marc. 14. v. 9. II. Appellatio hæc Catholicæ fidem & Doctrinam Apostolorum Prophetarumque Catholicam in universo scil. orbe dispersam, Ecclesiam servare notat. Quo sensu nec ab Apostolis unquam neque tempore eorum, sed *Theodosi*

dosii Caesaris demum tempore usurpari coepta. Tunc enim in-
 valescentibus variis hæresibus, non ad solam illam per uni-
 versum Orbem dispersam multitudinem, Judæorum, Hæresi-
 eorum Synagogis antea rectè oppositam, Orthodoxi provo-
 care amplius poterant, sed fidei præsertim Catholicæ consen-
 sum eidem conjunctum esse oportere, re ipsa deprehendebant.
 Cum itaque neutra harum significationum Romanæ compe-
 tet, ea minus rectè dicitur Catholica, ita enim licet concludere:
 Cui non competit etymologia & notatio nominis Ca-
 tholici, ipsi nec nomen, nec res ipsa nomine notata competit.
 Sed hodiernæ Romanæ notatio sive Etymologia hujus nomi-
 nis non competit. Ergo illi nec nomen, nec res ipsa nomine
 notata i. e. ipsa ecclesia Catholica competere potest. Minor
 est verissima. Neque enim *primo* Romana ad certum locum
 (Romam videlicet) alligata per universum orbem potest esse
 dispersa, & omnes apud gentes collecta; & licet Synecdochicè
 pro tota Papæ ditione accipiatur Romana ecclesia, tū hæc se-
 se ad omnes gentes haudquaquam extendit, nisi fortè alicubi
 lateat invisibilis, quod tamen est contra naturam Romanæ ec-
 clesie, ut patet ex quæstione prima. Quod verò *deinde* fidei
 ac doctrinæ Catholicæ Apostolorum non adhæreat amplius,
 sed ab hac veritatis norma longissimè recesserit, in quæstione
 præcedenti probatum satis est. Catholica itaque non nisi *ὀμω-
 νίμως* Romana dici potest; qua ratione ejus Veritatem, Pon-
 tificii hoc epitheto nunquam probabunt. Dicit verò Roma-
 na ecclesia, sibi appellationem Catholicæ, tanquam propriam
 veræ Ecclesie fuisse inditam, ac propterea rectè se dici Catho-
 licam. Resp. Verosimile est (ut vult Nicol. Hunnius in tract.
*germ. pag. 92. cui nomen est, Peltis ovina Romana Ecclesie detra-
 ctæ*) Theodosium Imperatorem Romanum, pullulantibus
 variis hæresibus, diplomate publico omnibus Veritatis confes-
 soribus, imprimis verò Romanæ, tanquam præcipuo Ecclesie
 membro indicasse, ut se Nomine Catholico, cui fides Catho-
 lica longe lateque dominans, conjuncta subintelligatur, à
 Malignantibus illa distingueret: tum temporis enim fides ac-

B

que

que doctrina Apostolorum Catholica, revera illi compete-
bat, ac merito dicebatur Catholica. Inde tamen non sequitur,
eam & hodie ita recte appellari, ubi à fide illa Catholica lon-
gissimè secessit. Sic rectè quondam Judæi, dicebantur semen
Abrahæ; Christi verò & Apostolorum tempore non verè.
Quando enim Johan. 8. v. 33. *Nos sumus filii Abrahæ* inqui-
unt, nihil sunt minus, quam spirituale semen Abrahæ. Si ve-
rò iterum obvertat Romana, sibi hoc nomen Catholici à No-
bis ipsis tribui. Respondemus, hoc fieri non quod revera talis
à Nobis habeatur, sed quod talis quondam fuerit, & ex illorum
hypothesi adhuc esse putetur, ironice, quemadmodum & illi
nos vocat Evangelicos. Hoc modo Hierosolyma, quæ quon-
dam Esaiæ. I. v. 21. Civitas Sancta recte dicebatur, etiam Matth.
4. v. 5. ubi jam facta esset meretrix, ab Evangelistis ita fuit ap-
pellata.

Quæstio 4. An Ecclesia illa Romana, à
Luthero legitimè vocato, sit reformata re-
ctè? Affirmatur.

Certum est ex verbo, neminem in Ecclesia audiendum es-
se, nisi legitimè vocatum. Paulus enim disertè inquit Rom. 10.
v. 15. *eos non posse predicare qui non sunt missi.* Et Jerem. 23. v.
21. ita queritur Deus; *Non mittebam Prophetas & illi currebant.*
Imo Ecclesiæ non debent nec possunt cum fructu audire eos,
qui non habent legitimæ vocationis testimonia. Verba enim
Pauli sunt clara Rom. 10. v. 14. *Quomodo possunt audire, ita
ut ex auditu fides quæ justificet & salvet concipiatur, ni habeant
Docentem, qui missus sit.* Jer. 27 v. 14. *Nolite audire verba isto-
rum Prophetarum &c.* Itaque meritò hic primo queritur;
num Lutherus legitimam habuerit vocationem, cujus jure
potuerit Reformationis illud opus in se suscipere? Omnino
verò eam habuisse statuimus, quia ipse ad prædicandum Evan-
gelium, juxta ipsius Christi institutionem vocatus in primis
fue-

fuerat, et licet aliena multa tūm vocationi ejus, tūm & ordinationi adhaerint, quæ Filius perditionis sanctissimo huic instituto, tanquam sordes adaspererat; illa omnia Lutherus, quam primum ex Dei verbo per S. Sancti illuminationem agnovisset, tanquam vile à pretioso, scorias ab auro, penitus absterfit atque rejecit. Ubi non est quod objicias, Reformatorem excidisse suā vocatione, quod aliam quodammodo docuerit doctrinam, quam Pontificiam in qua ordinatus fuerat. Nam cum ordinaretur in ministerio demandatum illi fuit, ut Verbum & Sacramenta juxta Dei verbum, ecclesiae proponeret atque administraret; obligatio verò ad doctrinam Romanæ ecclesiae, seculo priori ignota fuit; quæ si vel maximè intervenisset, sicut & alia inutilia vocationi adjecta fuerant, iniqua promissio non obligasset eum. Sit ergo pro Luthero conclusio talis? Quicumque legitime vocatus est, & cui potestas auctoritate publica facta est, docendi verbum & prædicandi evangelium, ita ut se & Auditores suos salvos faciat, is justam habet vocationem, errores si quos agnoscit, emendandi, ne & ipse & qui eum audiunt fiant reprobi in æternum. At Lutherus legitima vocatione ac promotione ad Doctoratum, ad Cathedram & suggestum ad id destinatus fuit, ergo eo ipso quoque justam habuit vocationem reformandi abusus ecclesiae Romanæ. Lutherus itaque I. vi Vocationis rectè reformavit ecclesiam Romanam, tantumque abest ut vocatione suā exciderit, ut etiam tūm demum cœperit rectè administrare ministerium suum, ubi reformationem instituisse. II. Quia doctrina Romanæ ecclesiae, quæ tempore Lutheri publicè sonuit, & adhuc in ea propagatur & propugnatur, adeò erat corrupta, ut ex plurima parte in faciem scripturæ contradiceret, & à sinceritate Apostolica suaque integritate pristina, recessisse tota videretur. Quod ipsum evidenti demonstratione probavit in *Tractatu suo de Ecclesia* Gerhardus §. 125. & 250. nec non in Confess. Catholica, item Chemnit. in Ex. Concil. Trid. ut & Okander in Papa non Papa. III. Quia ante Lutheri tempora quam plurimi non tan-

tum conqueſti ſunt atque aperte confeſſi, Romanam ſuam
admodum eſſe corruptam, & reformatione indigere, quam
illi anxiiſ deſideriis expetebant; ſed eandem etiam multi ſe-
cuturam, ſpiritu Prophetico, vel certe argumentis minimè
dubiis perſuaſi prædixerunt. Sic Johannes Gerſon Pontificius,
part. prim. Oper. in tractatu, cui Titulus, *Declaratio com-
pendioſa defectuum virorum Eccleſiaſticorum*, aſſerit eccleſiam
indigere correctione & emendatione, recenſetque deinde
quamplurima, quæ reformatione indigent. Cardinales dele-
cti à Paulo, III. Romano Pontifice, confeſſi ſunt, reforman-
dam eſſe Eccleſiam, tam in capite quàm in membris, tam in
fide quàm in moribus. Unde & eorum Aſſecla P. Vergerius,
cum eos abusus agnoſceret, ad nos tranſiit. Aliorum verò
querelas varias, atque prædictiones de reformanda eccleſia, in
magna copia recenſet etiam D. Gerhardus lib. I. part. I. Con-
feſſ. Cathol. c. 4. & 5. item in tractatu ſive loco de Eccle-
ſia §. 292. Quædam etiam Mornæus in Myſterio iniquita-
tis pag. 1329 & ſeqq. imprimis p. 1343. IV. Quia ex propria
adverſariorum confeſſione, occaſiones ad reformandum varias
habuit Lutherus, partim Doctrinæ corruptionem, quam libe-
rè recenſent: partim Papalium indulgentiarum immodica
præconia, quam reformandi anſam & ipſe Lutherus, præfa-
tioni Oper. Latinor. inſeruit: partim etiam immoderatam,
potestatis Papalis prædicationem, morumque corruptelas,
publicè in Eccleſiâ graſſantes, ſedisque Romanæ defenſorum
pertinaciam, omnem reſpuentem emendationem. Quas eo-
rum Confeſſiones itidem ordine recenſet Gerh: I. I. part. I.
c. 7. Confeſſ. Cathol. Quidni ergo promotus in Eccleſiâ Do-
ctor, & vocatus in ea Paſtor animarum, ſat cauſæ habuerit
monendi, corrigendi, emendandi & rejiciendi errores, quo-
rum tolerantia, & tacentibus Doctoribus, & agnoſcentibus
auditoribus, exitioſa eſſet. Ezech. 44. v. 23. Malach. 2. v. 7.
1. Pet. 3. v. 19.

Quæ.

Quæstio 5. An illa Lutherana sic dicta sit
vera Dei Ecclesia Catholica? affirmatur.

Vera enim est I. Quia ad faciem Ecclesiæ Jesu Christi, Evangelistarum ac Apostolorum, cujus de veritate nefas est hominem dubitare velle, sola informata. In ea namque idem per omnia, aliud nihil docetur, quam quod voce suâ Dominus, & Apostoli post ascensionem ejus, ex præcepto Christi docuerunt: & nullus est Prophetarum vel Apostolorum, qui eum non per omnia Lutherana consentiat, in nullo dissentiat penitus. Veritati hic testimonium dare coguntur, ipsi Adversarii, agnoscetes doctrinam nostram scripturæ Sacræ esse conformem. In Comitibus enim Augustanis anno 1530. mens. Junio celebratis, Pontificiorum præcipui Doctores, Confessionem Augustanam Cæsari oblatam, ex Scriptura sacra non refutari posse fatebantur. Præsertim verò Eccius Theologus, hoc ipsum, tunc temporis coram Wilhelmo Bavaricæ Duce, apertè fassus est. Cum enim à lectione illius confessionis, in diversorium Dux rediisset, Eccium suum ita compellabat: Longè alia & magis horrenda, de doctrina Lutherana mihi narrata sunt hæcenus quàm ipse hodie audivi. Et tu quidem præclaram spem mihi fecisti, posse illam doctrinam facile refutari. Respondet ille: Patrum quidem scriptis doctrinam protestantium refutari posse, minimè verò ex Scriptura sacra. Ergo quantum audio, subjicit Wilhelmus, Lutherani, sedem & fundamenta suæ doctrinæ, habent in Scripturis sacris, nos verò Pontificii extra eas. Lutherus tom 5. Oper. Germ. fol. 35. fac 2. In iisdem comitiis, Christophorus Stadius, Episcopus Augustanus, inter privata sua colloquia dixit: Illa quæ recitata sunt, sunt vera, pura sunt veritas, non possumus inficiari. Referente sic Chytræo in Hist: August. Conf. p. 74. Quapropter ita concludimus: Quæcunque Ecclesia nihil docet, quam quod Jesus Christus viva voce in Ecclesia docuit, & nunc in Scripturis docet, illa est vera, pura,

Catholica Ecclesia, Joh. 10. Lutherana nihil aliud docet quam quod Jesus Christus in Ecclesia vivâ voce docuit, & nunc in scripturis docet, testantibus ipsis Pontificiis. Ergo Lutherana est vera, pura, Catholica Ecclesia. Vera II. est Ecclesia Lutherana, quia omnia, & omnes imprimis fidei articulos, quemadmodum in verbo sunt revelata, simpliciter credit, ac docet, nihil traditionis humanæ cum Pontificiis addendo, nihilque cum Calvinianis humanæ rationis admiscendo. Nam nullus est articulus fidei, nostra ratione, sed ex sola revelatione cognitus, itaque veræ Ecclesiæ est credere quemadmodum aliquid divinitus revelatur, quale quale illud tandem sit; non vero attendere quid de Divina revelatione, humana ferat traditio, vel humana judicet ratio. Sit ergo pro veritate Ecclesiæ Lutheranae, Syllogismus talis: Quæcunque Ecclesia omnes articulos fidei, quemadmodum in verbo divinitus patefacti sunt, simpliciter credit ac docet illa est vera. Sed Lutherana hoc facit. Ergo. Hinc & III. eo ipso est Catholica quoque, id est fidem Catholicam, universis necessariam, ab omnibus veræ Ecclesiæ membris, semper ab orbe condito, Christo revelato in carne, prædicato per terras Evangelio, piè creditam & confessa & aliis prælucens, in eaque consensum totius orbis fidelis habens, ita ut extra ejus gremium, tanquam Catholicæ salvandorum matris, in terra hac nulla salus evangelicæ esse queat, aut olim fuerit unquam. Juxta legem enim & testimonium Es. 8. Apoc. II. v. 2. c. 13. v. 8. De quo amplius D. Hunn. l. c.

Quæstio 6. An Ecclesia Lutherana sit recens ac nova? Negatur.

Non enim superiori seculo demùm coepit, neque cum Luthero, ut volunt Pontificii, sed est antiqua illa Ecclesia, Christi ac Apostolorum fundamento adhuc inhærens, quam Lutherus, ejusque Symmistæ à sordibus misere sædatam, tan-

quam

eum modo repurgarunt, mundarunt, & pristino splendore
primæ integritati restituerunt. Neque enim cum Arianis,
Nestorianis, Calvinianis & aliis sectis, novum aliquod dog-
ma, sed veterem Apostolicam profiteamur doctrinam, quam
Pontificii novam proclamant, non secus ac pueri antiquam
rem, quando est renovata, novam de prædicant, non distin-
guentes, inter novitatem veram & fictam. Aliud enim est res
novas antea planè incognitas, & inusitatas introducere; aliud
autem renovare, id est res antiquas, hominum injuria colla-
psas; pristino nitore restituere. Sic Lutherus, doctrinam A-
postolicam sordibus humanarum traditionum penè obrutam
repurgavit, non verò novi aliquid introduxit, etsi novum
quid affingatur. Si probatum hic darent Pontificii, Luthe-
rum novum aliquod dogma excogitasse, quod à scriptis Pro-
phetis ac Apostolicis alienum esset, evincerent aliquid. Sed
ad antiquitatem in scripturis propositam, perpetuò nos revo-
cat Lutherus: hæc sola in Ecclesiis nostris docetur, hanc u-
nicè sequimur. Ergò apparenter tantum nova est Ecclesia
nostra, & talis Pontificiis erroribus jam pridem assuetis, visa
modo fuit. Sic enim & doctrina Christi & Apostolorum,
Judæis ac gentilibus videbatur nova Marc. i. v. 27. Act. 17. v.
19. Quia Majorum suorum erroribus & idololatriis, jam inde
à multis annis sepulti planè fuerant: Et Johannes Baptista
videbatur novam proponere doctrinam, quâ de causâ & Cle-
rus Hierosolymitanus, legationem ad eum mittit, Joh. i. v.
19. Concludimus igitur: Quæ Ecclesia salvificam in exhibi-
tum Messiam fidem puram cum piis utriusque Testamenti
civibus, habet ac docet, Prophetarum scripta incorrupta ser-
vat ac prædicat, Christi & Apostolorum doctrinam simpli-
cem, sine mixtura ac dolo profiteretur & ubique concionatur,
ejusque Sacramenta juxta institutum ejus, sine additione ac
imminutione religiosè administrat, adeoque jam à mille &
sexcentis annis, post reparatam salutem, salvifica illa media à
Deo data possidet, ea non est nova sed antiquissima Ecclesia
Atqui

de illa, cujus nos membra sumus, Lutherani vulgò dicti, verum
est prius, quod probatum est superius, ergo & posterius.

F I N I S.





A D

Doctissimum Juvenem

Dn. JOSUAM SWARTZ, Pomeranum.
Seculo aptè disputantem

Scribam

JOSUA ARNDIUS.

Orbis in est rebus, SVVARTZI superumq; thea-
tris
Fabula mundus in est, in quâ cum scena re-
mota est

Personæque abeunt, eadem Comœdia restat.
Sorbet terra vices, & sese amplexa ruinis
Fulcit in interitum, quo lapsa fragore theatra
Actores rapiant secum cœloque reponant.
Sola Dei pars illa animis data colligit urnam
Corporis, & quantum tanta sub mole licebat,
Eminet incertis, & vertice sidera pulsat.
Queis egressa manus densa inter nubila prensat
Nutantem, inferiusque solo vicina minantem
Subtrahit exequiis, atque ut Cœlestibus adsit
Carcere clausa suo, videatque in corpore sedes,
Queis demersa gemit fovea tam dispare terre,

Sup

Supponit solidum ex adamante & marmore robur
Cum titulo: STAT CANA *Fides*, circumque reducto
Aggere munit opes, & coetum cogit in unum
Quotquot agebat amor Fidei dare nomina nostra.
Mox emissa sinu circumplaudentis Olympi
Jubila vocis eunt, totumque moventia mundum
In nova regnacent, & muris oppida firmant.
Juraque dat populis Princeps & Nuncius una.
Surgit opus, munita via est, quâ dextera monstrat.
Jamque ascendebant collem, qui proximus altis
Imminet, in festasque irridet de super arces:
Cum tremere & totis circum subsidere cellis.
Terra minax, disturbat opus, fultamque Columnam
Nubibus aggreditur. Volitat primo agmine serpens
Igneus, alatus, flammâque & dira vomentem
Nubila terribili vibrans à firmate caudam.
Squammeus ingreditur, quem pone incedit Amazon
Nuda & coccinea subtus religata machara:
Tristis, atrox, nebulosa & tota fronte cruenta,
Tum post terga trahens immani turbine bellum.
Dat latè stragem, quâ tendit, & arma sonantem
Arma sonum vibrat, coelumque horrore repletum.
Involvit piceis & densis aëre nimbis,
At frustra. Interea vibrat gens pressa querellas.
Votaque fert aris & thura incensa ministrat.
Cum subito micuere poli, tonat axis & æther
Et conjurati coeunt in pralia venti.
Quâ sese ostentat miseris manicata Columna.
Tunc coiere acies, hinc Terra, inde astitit Æther,
In medio stat pressa Fides, & cincta manipulis
Elebilibus Pugnax jam spe sua damna levabat.

Inci.

Incipit assultor Coluber, primamque Columnam |
 Impetit, utque magis fallat, vomitore tenebras,
 Spiculaque in medium coeco cum pondere jactat.
 At longè lucente polo, miserisque corusco
 Sidere perpetuus castris fulgebat Eous.
 Sic acies instructa stetit, sic prælia mille
 Jam sunt gesta annis, & sexta in secula durant.
 Necdum desævît Mars impius, altera nuper
 Bella movens chartis media inter castra Columnæ,
 Queis collisa acies patulos dat Amazoni muros
 Atque vias aperit, sub fundamenta Columnæ.
 Inde movent Tagus, Hermus, Iber, Strepituq; sonoro
 Solem utrumque cient; Hinc se Civilia castris
 Ostentant arma, & sic sese in prælia scindunt,
 Sic lacerant vires, quæ junctæ fortius irent.
 O parvæ in magnis animæ! ô coelestium inanes!
 Claudite quâ data porta, vias, ne dextra rectrix
 Nubibus acta suis sese in sua regna recondat,
 Et pugnatrices sub cultro linquat Echidnas.
 Tu rectè, NIGRINE, præis juvenantibus ævis,
 Quæ fervor non-coctus agit. Tu subruis arcem,
 Et veri exterebras radios, repetitaque seclis
 Argumenta tuis constipas ore rotundo,
 Inque brevem at planum vasta illa recolligis arcum. |
 Quid juvat imbelles & adhuc à matre rubentes
 Arma movere manus? Solidos sine crescere nervos
 Militiæ, si qua ulla, piæ. Preme sedulus ignem
 Ingenii ne dum fervet prorumpere, flamma
 Dissiliat passim, sparsisque immugiat auris.
 Tum postquam firmata Virum te fecerit ætas,
 Aut celer in tantas industria jecerit artes,

LENIOR

Lenior infurges soliti; Qua fronte minaris
Inpresens quâ mente virens modò Castra Columnæ
Intras & labaro *Fidei* das nomina *Cane*,

Hâc persta, & per nox primos inquire per annos,
Seculaque antiquis lustræcurrentia signis.
Sic aderit cœptis, sic *Dextera* vota juvabit
Et studii tua meta viarum in prima recurret;
Quâque alios sistunt calces, Te janua ponet
Victorem & subitâ laudabit Prætor arenâ,

WITTEBERGÆ.

ANNO cl^o l^o cliv.
mens. ixbr. a. d. xiii.

F I N I S.



Coll. Miss. A 154,34